



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Capvt III. De Sacramento Confirmationis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

## CAPVT TERTIVM.

## De Sacramento Confirmationis.

## SECTIO I.

## Vtrum Confirmatio sit Sacramentum.

**C**onfirmationis nomine intelligitur ritus ille, quo Episcopus baptizati frontem sub certam verborum formam sacro Chrismate ungit: qui ritus à S. Clemente Epist. 4. vocatur *Consignatio*; à S. Cypriano Epist. 73. ad Iubaianum, *signaculum Dominicum*; à S. Augustino lib. 2. con. Petilianum cap. 104. *Sacramentum Chrysmatis*; & aliter ab aliis: communi tamen nomine & magis usitato in Ecclesia vocari solet *Confirmatio*; quod nomen ante 1200 annos usurpatum reperitur à S. Melchiade Pontifice in Epist. sua Decretali ad Episcopos Hispaniæ, ubi ait quòd *Confirmatio armat & instruit nos ad agonem vite istius.*

Verùm quidquid sit de nomine, certum est Confirmationem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum, Hanc veritatem, quæ de fide est, negant hæretici huius temporis, & olim negavit etiam Novatus, ut ut refert Eusebius lib. 6. cap. 35. Contra quos,

Probamus illam primò ex Script. Act. 8. ubi dicitur Samaritanos quòsdam post Baptismum susceptum accepisse Spiritum sanctum per manuum impositionem sanctorum Petri & Ioannis: ex quo quidem loco constat Spiritum sanctum, id est gratiam, collatam fuisse per ritum quemdam externum, qui (ut dicitur in Conc. Senon. Decreto 10.) *tunc impositionis manuum, nunc Confirmationis appellatum est Sacramentum*; & eodem sensu hunc locum explicat S. Cyprianus Epist. 73. ad Iubaianum, & Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos.

C

110



Probatur 2. ex Concil. Constantinop. 1. can. 7. dicitur eos, qui ab Hæreticis baptizati ad Ecclesiam veniunt, *Signandos esse signaculo Spiritus sancti: & ex Concilio Florent. in decr. Eug. & Trident. sess. 7. can. 1. de Confirmatione in quibus definitum est Confirmationem esse verum sacramentum vtz legis Sacramentum.*

Probatur 3. ex S. Dionysio cap. 4. de Eccl. Hier. dicit quod illi, qui divina regenerationis Sacramento initiati sunt, *divini Spiritus adventum largitur unguenti consecratione uncti: & S. August. lib. 2. cont. lit. Petil. c. 14. Sacramentum Chrismatis in genere visibilibus signaculorum sacramentum est, sicut ipse Baptismus.*

Quæres quo tempore hoc Sacramentum à Christo Domino fuit institutum? Respondetur probabilissimum esse (sicut docet Suares disp. 32 sect. 2) præcipue & facte fuisse institutum post Christi Domini resurrectionem; cum à apostolis plenitudinem Episcopalis potestatis in corpus mysticum Ecclesie sue contulit dicens illis *Joan. 20. Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: quodcumque alligaveris super terram, & cetera* non obstat, quin verum sit, quod S. Fabianus Episcopus 2. dixit, ipsum Christum in ultima Cœna Discipulos suos Chrismatis conficiendi rationem docuisse, ut promanavit consuetudo sacrum Chrisma conficiendi die Cœnæ Domini; quæ quidem semper in Ecclesia servata est, & adhuc servatur.

## SECTIO II.

*Quænam sit materia & forma Sacramenti Confirmationis.*

**M**ateria remota hujus Sacramenti est Chrisma oleo olivarum & balsamo confectum, & ab Episcopo benedictum; proxima verò est ipsius Chrismatis unctio in fronte susipientis ab Episcopo in cruce figuram facta. Forma autem consistit in his verbis quæ ab Episcopo proferuntur: *Signo de signo crucis confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti Amen.*



*Spiritus sancti.* Ita S. Doctor: q. 71. a. 2. & 4. & confirmatum ex Concil. Florent. in Decr. Eug. tum ex Catechismo Rom. part. 2. cap. 3. tum etiam ex ipso usu & praxi Ecclesie.

Sunt autem quedam hic observanda ad clariorem & certiore huius veritatis intelligentiam.

Primum est, ad substantiam huius Sacramenti necessarium requiri Chrisma compositum ex oleo olivarum & balsamo. Ita docet S. Th. sup. nec satis probabilis videtur sententia Cajetani & quorundam aliorum, qui dixerunt ad validitatem Confirmationis solum oleum posse sufficere, nec mixtionem balsami requiri nisi ex Ecclesie precepto: cum (ut habetur in Cat. Rom. supra) Concilia & Patres perpetuo docuerint hoc Sacramentum per Chrisma seu unguentum ex oleo & balsamo confici oportere; quod expressis verbis declaravit Concil. Florentinum.

Secundum est, ad substantiam quoque huius Sacramenti requiri, ut Chrisma sit ab Episcopo benedictum, ut docet S. Thomas: & constat tum ex citato Decr. Eug. tum ex Innocentio I. Epist. 29. ad Decentium, tum etiam ex universali & perpetua Ecclesie praxi.

Ratio autem, cur materia huius Sacramenti sicut & Extreme Unctionis debeat necessario esse benedicta, ut Sacramentum valide conficiatur, cum ad validitatem Baptismi quavis aqua naturalis sufficiat; est, quia (ut docet S. Thom. sup.) Sacramentorum illorum, quibus Christus Dominus usus est, ut Baptismi & Eucharistie, materia, per ipsummet Christi usum accepit aptitudinem ad perfectionem Sacramenti; unde dicitur cap. nunquam de Consecr. dist. 4. *Quod aqua Baptismi purgare credentium peccata nunquam possent, nisi tactu Domini corporis sanctificata fuissent:* quare non est de illorum Sacramentorum necessitate, ut illorum materia benedicatur; & si quae benedictio ex Ecclesie institutione adhibetur, non ad necessitatem, sed ad maiorem reverentiam Sacramenti pertinet: cum vero neque ex Script. neque ex Traditione constet Christum Dominum unctionibus visibilibus,



quæ in Sacramento Confirmationis & Extremæ Unctio-  
nis adhibentur aliquando usum fuisse; ea de causa ben-  
dixit Episcopi, qui Christum in Ecclesia sua perfectissimè  
repræsentat, necessario requiritur, ut materia illa idonea  
& apta efficiatur.

Observat autem Isambertus ad qu. 72. disp. 2. a. 5. m-  
lam certam benedictionis formulam à Christo Domino  
fuisse determinatam, illumque solummodo decrevisse  
Christum benedicere, modum verò benedicendi in Ec-  
clesiæ arbitrio reliquisse: unde quælibet ipsius Christi  
benedictio ab Episcopo facta cum debita intentione  
in invocatione Spiritus sancti, ad validitatem Confirmatio-  
nis sufficere potest; quamvis grave alioquin esset peccatum,  
formam benedictionis ab Ecclesia præscriptam mutare  
mittere aut immutare.

Tertium est, unctioem Chrismatis in fronte confir-  
mandi esse faciendam in Crucis figuram, ut constat  
Conc. Hispal. 2. can. 7. & ex Decr. Eug. ubi dicitur *Con-*  
*firmationis ideo in fronte, ubi verecundie sedes est, in un-*  
*ctioe Christi nomen confiteri erubescat, & præcipue crucem eius, quæ*  
*Iudæis est scandalum, gentibus autem stultitia secundum Ap-*  
*ostolum propter quod signo Crucis signatur: unde S. Ambrosius*  
de ipsius Confirmationis Sacramento sic loquitur lib.  
de Sacram. c. 2. *Vixit te Deus, signavit te Christus Quia*  
*Quia Crucis ipsius signatus est forma.*

Docet autem Isambertus sup. a. 6. de necessitate huius  
Sacramenti esse, quòd unctio Chrismatis manu seu digito  
Episcopi, non verò mediante ullo alio instrumento  
quòd verò fiat pollice dexterae manus, id non nisi ex præ-  
cepto Ecclesiæ esse ad majorem decentiam & communi-  
tatem.

Quartum denique est, formam huius Sacramenti  
Christo Domino, sicut & materiam eius institutam esse  
quòd tamen non aliunde quàm ex traditione & perpetua  
totius Ecclesiæ praxi probari potest.

Nec obstat quòd apud quosdam antiquos auctores  
eadem verba non reperiuntur; satis est enim ( ut ait Be-



Bellarminus) lib. 2. cap. 10. quòd habeatur idem sensus ; cum vis formæ Sacramentalis posita sit , non in sono aut numero syllabarum , sed in verborum sensu ; vbi etiam rectè monet nemini mirum videri debere , quòd apud SS. Patres neque huius neque aliorum Sacramentorum formas expressas legamus ; quia scilicet nostra Religionis mysteria infidelibus patefacere nolebant , ne illis blasphemiam alicuius aut impietatis occasionem præberent ; vnde Innocentius I. Ep. 1 ad Decentium , de hoc confirmationis Sacramento loquens , *verba* , inquit , *dicere non possem ; ne magis prodere videar quàm ad consultationem respondere.*

Obijciat aliquis ; Act. 8. Apostolos hoc Sacramentum administrantes neque Chrismate neque vnctione vfos fuisse , sed tantummodo manus imposuisse ; vnde sequitur neque Chrisma neque vnctionem ad Sacramenti huius rationem pertinere. Resp. 5. Doctor Apostolos ex singulari Christi priuilegio sola manuum impositione Sacramentum hoc extraordinariè aliquando administrasse , Spiritu sancto tunc visibilibus & miraculosis quibusdam signis super fideles descendente , & plenitudinem gratiæ conferente ; communiter tamen in exhibitione huius Sacramenti Chrismate vfos fuisse.

Aliam affert responsionem Bellarminus lib. 2. de Confir. cap. 9. ex Th. Waldensi , Hugone & alijs , qui dicunt impositionem manuum , cuius in Actis Apostolorum mentio fit , aliam non fuisse quàm vnctionem Chriftalem , cum Apostoli non ungerent nisi imponendo manus ; & S. Lucam ( ut sæpe fit in alijs Script. locis ) ex parte unam rem totam significare voluisse , quod etiam frequens est apud SS. Patres quoties de hoc Sacramento loquuntur , ut apud S. Cypr. qui Epist. ult. lib. 1. solius vnctionis meminit ; & Ep. 7. lib. 2. solius manuum impositionis ; & Epist. 72. ad Iubaianum , impositionis manuum simul & signaculi Domini in fronte mentionem facit.



## SECTIO III.

## Quinam sint huius Sacramenti effectus.

Tres sunt Confirmationis effectus. Primus illi  
 Taliis Sacramentis communis est, nempe augmentum  
 gratiæ sanctificantis; quod satis constat ex iis quæ  
 1. dicta sunt,

Secundus effectus huius Sacramenti proprius & pec-  
 liaris, est complementum & perfectio gratiæ Baptismal-  
 & auxilium quoddam speciale actualis gratiæ tempore  
 opportuno conferendum, ad Christi fidem interiorius fide-  
 ter contra quaslibet tentationes retinendam, & exte-  
 in quibusvis casibus etiam cum discrimine vitæ (si  
 necessarium sit) fortiter profitendam. Ita S. Th. q. 1. & 7.  
 constat tum ex decreto Eug. tum ex Catechismo Rom.  
 ptà: quod etiam explicavit S. Melchiades Papa in Ep.  
 supra citata ad Episc. Hispaniæ, ubi sic loquitur: Spiritus  
 sanctus super aquas Baptismi salutariter descendit illapsus  
 Fonte plenitudinem tribuit ad innocentiam; in Confirmati-  
 onem præstat ad gratiam: & quia in hoc mundo etiam  
 visiturus inter hostes & pericula gradiendum est, in Bap-  
 tisimo regeneramur ad vitam, post Baptismum confirmamur ad pug-  
 nam in Baptismo abluimur; post Baptismum roboramur.

Est autem observatione dignum id quod habetur  
 Episc. S. Cornelii Papæ ad Fabium Episcopum Antio-  
 num, quæ exstat apud Euf. Lib. 6. Hist. Eccl. c. 35. ubi S.  
 Pontifex ideo Novatum in hæresim lapsum esse dicit,  
 post Baptismum sigillo Domini ab Episcopo obsignatus non

Tertius denique effectus, est character spiritualis  
 per hoc Sacramentum indelebiter animæ imprimitur  
 expresse definitum est in decr. Eug. & in Conc. Trid.  
 7. can. 9. & antea definitum fuerat in Conc. Tolet. 8. c.  
 7. in quo habetur, Sanctum chrisma collatum & altaris  
 rem evelli non posse; id est Confirmationis & Ordinis cha-  
 racterem non posse deleri: ex quo sequitur Sacramentum  
 hoc semel susceptum nunquam posse iterari, ut in iisdem  
 Concilij declaratur, & etiam in Conc. Cabilonensi  
 can. 27.



Hinc colligitur quanta reverentia; & animi devotione Sacramentum istud recipi debeat, & qua cura sit adhibenda, ne preparationis defectu obex a'iquis ponatur ejus gratia, inter tot pericula & hostes adeo necessaria, quæ tamen nunquam fortassis recuperari poterit. Certe Dominicus Sotus in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. & post illum Vasques disp. 161. cap. 2. & plures alii Theologi docent solius Baptismi id proprium esse, ut sicte id est indigne susceptus sublata postea per veram pœnitentiam fictione, Sacramentalem nihilominus gratiam conferre possit; de aliis verò Sacramentis id negant: neque ulla autoritate aut ratione evinci potest, Sacramentum Confirmationis aut quodcunque aliud (solo Baptismo excepto) indigne receptum ullam unquam gratiam ex opere operato producere in eo qui indignè recepit, quantumcunque de indigna illa receptione pœniteat.

## SECTIO IV.

*Quenam dispositiones necessarie sint ad Sacramentum Confirmationis validè & fructuosè recipiendum; & quæ sit illius recipiendi obligatio.*

Certum est in primis Confirmationis Sacramentum solis baptizatis validè conferri posse, Ita S. Th. c. 72 a. 6. qui dicit characterem Confirmationis ita supponere Baptismi characterem, ut, si quis non baptizatus confirmaretur, nihil reciperet: & hæc est communissima & indubitata Theologorum omnium Doctrina, non modo Confirmationem sed & alia novæ legis Sacramenta solis baptizatis validè conferri posse.

Certum est præterea omnibus baptizatis Confirmationem validè conferri posse. Ita S. Doctor supra: & constat ex praxi Ecclesiæ primitivæ, in qua etiam infantibus simul cum Baptismo conferebatur, ut habetur ex S. Dionysio cap. 2. Eccl. Hier. ex S. August. tract. 6. in Epist. 1. S. Ioan.



& ex lib. de Eccl. dogm. cap. 52. Quod quamvis verum  
monet tamen Catechismus Rom. part. 2. cap. 3. non  
expedire fieri hoc, antequam pueri usum rationis habuerint  
quare, si duodecimus annus expectandus non videtur; usque  
septimum certe hoc Sacramentum differre, maximè conueniens  
neque enim Confirmatio ad salutis necessitatem instituta  
sed ut ejus virtute optimè instructi, & parati inuenirentur  
cum nobis pro Christi fide pugnandum esset; ad quod sanè per  
genus pueros, qui adhuc usum rationis carent, nemo aptos  
carit.

Cum hæc certa sint, quaeritur quaenam dispositio  
in adultis baptizatis necessariae sint, ut Confirmatio  
Sacramentum dignè ac fructuosè recipiant. Resp. de  
præsertim requiri, fidem scilicet & charitatem seu gratiam  
sanctificantis statum. Ita S. Doctor a. 7. ad 2. & confirmat  
Catechismo Rom. sup. ubi dicitur. Debere adultos, qui  
huius Sacramenti gratiam & dona consequi cupiunt, non  
solum fidem & pietatem asserre; sed etiam grauiora peccata  
qua ad miserunt, ex animo delere, imò elaborandum esse,  
peccata etiam prius confiteantur, & Pastorum cohortationibus  
jejunia, & alia pietatis opera suscipienda incitentur, ad  
reuerentiam anturque laudabilem illam antiquæ Ecclesiæ consuetu  
nem renovandam esse, ut non nisi jejunii hoc Sacramentum  
susceperent: quod & similiter edicitur in Conc. Aurelian.  
cap. ut jejunii de consecr. dist. 5.

Monet autem Lambertus disp. 5. a. 2. illi, qui peccatum  
alicuius mortalis sibi conscius esset, ad Sacramentum hoc  
dignè suscipiendum præmittendam esse confessionem  
Sacramentalem, aut saltem perfectam de tali peccato  
contritionem esse concipiendam, nec attritionem aut  
quemvis alium dolorem charitate minimè informatum  
sufficere.

Quod spectat ad obligationem huius Sacramenti suscipiendi, certum est, (sicut docet S. Th. art. 8. ad 4.) gravissimum fore peccatum, si quis ex contemptu illud recipere mollet: imò Toletus lib. 2. c. 24. Sylvester verbo (Confirmatio) & alii quos citat Laymannus cap. 5. de Confirmatio  
existi  
curare  
endi  
prævic  
part. 7.  
ab ha  
tionis  
glexit  
viget  
quem  
fit, hoc  
ad fide  
qui gra  
per h  
supera  
Opt  
mento  
luta n  
vis eju  
non po  
maxim  
nobis d  
gentia  
Biffica  
expet



existimant proxime ad contemptum accedere, si quis non curaret suscipere hoc Sacramentum oblata illius suscipiendi opportunitate, quam in posterum non adfuturam praevideret. equidem Hugo. de S. Victore lib. 2. de Sacram. part. 7. cap. 3. dicit omnino periculosum esse, si quem ab hac vita migrare contingat Sacramento Confirmationis minimè suscepto, quod culpabiliter suscipere neglexit: & Isambertus disp. 7. a. 1. asserit in iis locis, ubi viget aut imminet persecutio contra Ecclesiam, teneti quemlibet aduultum, si Episcopum commodè adire possit, hoc Sacramentum suscipere, ut ex illo robor & vires ad fidem constanter profitendam hauriat; sicut & illum, qui graves contra fidem experiretur tentationes, quas per huius Sacramenti virtutem se posse tantummodo superare existimaret.

Optimè Catechismus Rom. supra monet. *In hoc Sacramento suscipiendo, neque praepropera festinatione, neque dissoluta negligentia & cunctatione utendum esse, &c. & quamvis eiusmodi necessitatem non habeat, ut sine eo saluus quis esse non possit; illud tamen à nemine praetermitti debere, sed potius maximè cavendum esse, ne in re sanctitati plena, per quam nobis divina munera tam largè impertiuntur, aliqua negligentia committatur: quod enim omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetendum est.*

## SECTIO V.

*Quis Sacramentum Confirmationis ministrare possit, & quo ritu ministrari debeat.*

**C**ertum est ex fide ordinarium Confirmationis ministrum esse solum Episcopum. Ita expressè definitum est in dect. Eug. & in Conc. Trid. sess. 7. can. 3. de Confirmatione; & jam antea in Conc. Constantiensi sess. 8. error huic veritati oppositus inter Vniclesi articulos



enlos damnatus est: & confirmari potest ex c. 8. A. 1. dicitur sanctos Petrum & Ioannem Samariam venisse ut baptizatis manus imponerent: quo ex loco Innocentius 1. Epist. 29. ad Decentium infert non ab alio quam ab Episcopo Confirmationis Sacramentum esse conferendum.

Docet autem S. Th. art. 11. ad 1. ex commissione seu legatione summi Pontificis, Confirmationis Sacramentum posse à simplici sacerdote ministrari: quod et probat ex facto S. Gregorij magni, qui cum accepisset Sardiniam, Presbyteros solere baptizatis dare Confirmationem, id eos in posterum facere prohibuit, ut habet lib. 3. registri Epist. 9. at cum ex hac prohibitione comperisset scandalum aliquod in populo exortum esse, ut id facerent postea concessit, ut constat ex Epist. 27. eiusdem libri: & in decreto Eug. expressè dicitur *Per Apostolica Sedis dispensationem ex rationabili & admodum causa, simplicem sacerdotem chrismate per Episcopum confecto hoc Sacramentum Confirmationis aliquando gerere potest.*

Ex quibus Concilij verbis colligitur quòd, quamvis simplex sacerdos ex dispensatione summi Pontificis sit extraordinariè Confirmationis Sacramentum conferre non potest tamen sacrum Chrisma conficere, sed semper ex perpetua Ecclesie praxi Episcopo soli reservatum fuit, ut docet & probat Lambertus disp. 2. art. 6.

Quod spectat ad ritum huius Sacramenti, præter quæ illi ex institutione divina essentialia sunt, Ecclesia ad maiorem suscipientium devotionem excitandam quasdam præscripsit ceremonias in eius administratione ac susceptione observandas.

Prima est, ut adsit susceptor seu patrinus, qui commendandum offerat Episcopo: ratione cuius susceptionis contrahitur spiritualis affinitas similis illi, de qua in Baptismo dictum est. Est autem hæc ceremonia antiquissima constat ex variis Conciliorum Pontificumque decretis quæ citantur à Gratiano, ac præsertim ex can. 57.



dist. 30. q. 7. in quo præcipitur ut viri, qui filios proprios in Confirmatione tenuerint, quoad usum thori separentur ab uxoribus, propter affinitatem scilicet spirituales quam contraxerant: & diversa ratione can. *Dicitur est* ib. quibusdam feminis, quæ fraudulenter filios proprios in Confirmatione tenuerant; ut eo prætextu à viris separentur, inungitur quidem pœnitentia; prohibetur tamen ne à viris separentur.

Secunda ceremonia est, ut preces quædam solemnes ab Episcopo super confirmandis recitentur, idque ut Divinum auxilium in actione tanti momenti tum pro se tum pro illis invocet, eosque ad mentem in Deum elevandam pietatisque ac devotionis sensum aliquem concipiendum excitet.

Tertia est, ut Episcopus genam cujusque confirmati percutiat, eique alapam leviter infligat; ut is intelligat se ad probra, verbera & quæcunque alia pro Christo patienter perferenda paratum esse debere, & ad hoc specialem gratiam vi & efficacia hujus Sacramenti accepisse.

Quarta in eo consistit, quod Confirmato pax ab Episcopo detur: ut agnoscat hunc esse Christianæ patientiæ fructum: & post fidem in bellis ac certaminibus huius vitæ servatam, æternam illi ac beatam pacem in cœlo esse repositam.

Quinta denique in eo consistit, ut confirmati frons fascia ligetur; tum ne sacrum Chrisma casu aliquo profanetur; tum etiam ut significetur gratiam in Confirmatione acceptam sollicitè ac sedulo affectu esse custodiendam.

Monet autem Bellarminus Lib. 2. de Confirm. c. 13. morem cujusque Ecclesiæ in hac ceremonia servandum esse, quibusdam enim in locis ad septem dies fascia illa in fronte retinetur; in aliis ad tres tantum; aliquando etiã frons confirmati confestum post susceptam Confirmationem à sacerdotibus extergitur.

Observat etiam Gammachus c. 10. de Confirm. quod si quis nomen prophanum aut ridiculum gerat, possit illud



illud mutare in Confirmatione, quæ scilicet est completum & perfectio Baptismi. Addit etiam Episcopus non debere alienis diocesanis absque proprii Episcopi consensu Confirmationis Sacramentum administrare nisi ferè invaluerit contraria consuetudo, de qua nullus Episcopus conqueratur.

## CAPVT QVARTVM.

### De Sanctissimo Eucharistia Sacramentum

#### SECTIO I.

Quo nomine sanctissimum hoc Sacramentum nuncupetur.

**C**VM in sanctissimo hoc Sacramento mirabilis suorum memoriam fecerit Dominus ( ut ostendit pronuntiavit Propheta regius *Psal. 110* ) illic non modo sapientia ac scientia, sed & potentia, misericordia, charitatis, ac reliquarum divinarum perfectionum thesauros omnes recondiderit; mirum est, si nullum singulare nomen excogitari poterit quod excellentiam illius infinitam exprimeret; sed varietas & diversa vocabula passim à SS. Patribus adhibita referantur, quibus tanti mysterij dignitas utcumque adhiberetur.

Aliquando enim vocatur *Sacramentum corporis & sanguinis Christi* ex S. August. lib. 3. de Trinit. cap. 4. ipsa re quam in se continet. Aliquando *Sacramentum carnis*, à loco in quo conficitur ex eodem Sancto Augustino Epist. 30. Aliquando *Sacramentum fidelium*, ab ijs qui in gratia institutum est, ex sancto Augustino Serm. de verb. Apostoli cap. 1. Aliquando *Panis supersubstantialis*, ex S. Cypr. lib. de cœna Domini; *Panis*, ob idem